



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 3. Vtrum quantitas sit quid realiter distinctum à substantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

nec sic explicauimus naturam quantitatis in conclusione: expellendas alias aliquas res, nego antecedens. Itaque id, ratione cuius substantiæ aliquæ & qualitates expellunt se inuicem ab eodem loco, est quantitas, & consequenter natura quantitatis bene explicatur per ordinem ad hoc.

44. *Obiicit tertio:* Quantitas potest compati in eodem spatio cum quibuscumque aliis rebus, ut patet in quantitate corporis gloriosi, quæ est penetrabilis cum quacumque re, & partes eiusdem quantitatis possunt compati simul in eodem spatio, ut patet in quantitate Christi sub speciebus Eucharisticis: ergo male dicitur quod ratio formalis ipsius consistat in impenetrabilitate radicali; seu in extensione partium, ad quam sequitur aptitudo expellendi se inuicem & alias res aliquas ab eodem spatio.

Respondeo distinguendo antecedens: potest naturaliter, nego antecedens; supernaturaliter, concedo antecedens, & similiter distinguo consequens: ad quam sequitur talis aptitudo, ut nullo modo possit compati cum aliis omnibus rebus, concedo consequentiam: ad quam sequitur aptitudo connaturaliter alias aliquas res expellendi ab eodem loco seu spatio, nego consequentiam.

Dices: penetrabilitas est proprietas opposita impenetrabilitati, & competens rebus essentialiter distinctis à quantitate, ut rebus spiritualibus: ergo non potest competere quantitati, si impenetrabilitas sit proprietas illius.

Confirmatur: quia penetratio est actus proprius competens penetrabilitati: ergo nequit competere quantitati, quæ habet proprietatem oppositam, nimirum impenetrabilitatem.

45. *Respondeo* penetrabilitatem ut sic non esse proprietatem quarto modo rerum spiritualium & distinctarum essentialiter à quantitate, sed penetrabilitatem naturalem: hæc autem penetrabilitas non competit quantitati, cui proprium quarto modo est, non impenetrabilitas quomodocumque, sed impenetrabilitas connaturalis.

Iuxta hæc respondeo penetrationem, ut sic, non esse actum proprium penetrabilitatis incompatibilis cum impenetrabilitate, sed penetrationem naturalem, hæc autem non cōuenit quantitati: penetratio autem supernaturalis, quæ continere potest quantitati, non est actus proprius penetrabilitatis naturalis, quæ sola est incompatibilis eū quantitate: sed penetrabilitatis supernaturalis, quæ cum impenetrabilitate naturali est compatibilis in eadem re: neque enim est inconueniens quod eadem res sit penetrabilis supernaturaliter, & impenetrabilis naturaliter, sicut non est inconueniens quod idem corpus habeat inepitundinem naturalem ad essendum in multis locis simul, & aptitudinem ad essendum in illis simul supernaturaliter.

Dices: nec rugitus, nec rugibilitas potest vlla ratione competere homini, cui proprietas quarto modo est risibilitas: ergo nec penetratio, nec penetrabilitas potest vllō modo competere quantitati, cui proprietas est impenetrabilitas.

Respondeo negando consequentiam, quia penetratio supernaturalis, & aptitudo ad penetrandum supernaturalem non opponitur impenetrabilitati naturali, quæ est proprietas quantitatis, sicut rugitus & rugibilitas opponuntur risibilitati, ut supponitur. Quod si supponatur rugitus & rugilitatem supernaturalem non opponi risibilitati hominis, tum dicendum est hominem posse supernaturaliter rugire, & habere aptitudinem seu potentiam ut possit rugire supernaturaliter, sicut habet quantitas ut possit penetrare.

QVÆSTIO III.

Utrum quantitas sit quid realiter distinctum à substantia.

46. *Prima sententia est* Nominalium tenentium non esse accidens aliquod distinctum realiter à substantia quanta aut accidentibus quantis. Ita Occamus in 4. dist. 4. quodl. 4. quæst. 29. & in tractatu de corpore Christi cap. 17. Gabriel num. 2. dist. 10. Aureolus apud Capreolum 2. dist. 18. art. 2. & hanc sententiam putat probabiliorem Arriaga diff. 5. Met. n. 10. Ex modo autem quo

probant hi authores hanc sententiam, videntur mihi capere quantitatem pro extensione partium, tam in ordine ad se, quam in ordine ad locum, sic ut vna pars petat connaturaliter esse correspondens parti loci, & alia alteri. Supposita autem hac acceptione quantitatis, non possent habere nobiscum, nec cum recentioribus in hac re controuersiam, qui admissimus quæstione præcedenti substantiam corpoream ex se habere huiusmodi extensionem independentem ab omni accidente absoluto à se distincto: & idem etiam dicendum est de qualitatibus, nec hoc indiget alia probatione, quam qua vñ sumus eo loci. Itaque ut hæc sententia Nominalium sit diuersa à nostra sententia, oportet ut sic intelligatur, quod substantia ex se ipsa habeat talem extensionem, ad quam sequitur aptitudo expellendi alia ab eodem spatio, & quod non detur aliquod accidens distinctum realiter ab ipsa, quæ per se habet talem extensionem, & ratione cuius competit aliis rebus eam habere. Quo sensu ipsi etiam intelligendi sunt, dum absolute dicunt non dari quantitatem aliquam distinctam realiter à substantia.

Secunda sententia communissima aliorum Doctorum est extreme opposita, asserens dari quantitatem distinctam realiter à substantia, Ita Doctor in 4. dist. 12. quæst. 2. cum omnibus Scoticis, D. Thomas 3. par. quæst. 77. cum suis, quos recentiores communiter sequuntur, ut Suarez disp. 40. Met. sect. 1. & Auerſa quæst. 2. 2. Philosophia, sect. 1.

CONCLUSIO.

47. *Hæc secunda sententia vera est.* Probat Auerſa hanc conclusionem, quia bene potest concipi quantitatem esse accidens peculiare realiter distinctum à substantia, & ratio substantiæ corporeæ concipi potest per modum exigentis quantitatem, tamquam accidens realiter distinctum, sed sibi connaturale; Bene ergo, inquit, intelligi potest & debet quantitas, ut quid distinctum realiter à substantia & aliis accidentibus, Sed hæc probatio nihil concludit: neganda est enim consequentia pro secunda parte; nam quamuis posset sic concipi, non debet tamen, imo potius debet concipi per modum indistincti à substantia, nisi addit aliqua alia ratio, quia potest etiam concipi ut indistincta; & vniuersaliter non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nec est sufficiens necessitas ad distinguendam realiter quantitatem à substantia, quod possit concipi ut sic distincta.

Probatur secundo efficaciter suo iudicio experientia, quæ constat quantitates expellere se inuicem naturaliter: ergo dantur quantitates sic se expellentes. Verum hæc probatio non urget dari quantitatem distinctam realiter à substantia, nec satis notum est, ut ipse subiungit, impenetrabilitatem non competere rebus ratione substantiæ, aut si notum est, non certe ex terminis; nec ex hac, aut prior ratione quam ipse adducit, id constat.

48. *Probatur ergo aliter primo*, quia datur aliquid distinctum realiter à substantia, ratione cuius partes substantiæ sunt impenetrabiles inter se & cū aliis rebus, & etiam partes qualitarum materialium substantiæ, ut albedinis, caloris, &c. sed illud est quantitas: ergo quantitas distinguitur realiter à substantia. Minor & cōsequentia supponuntur certa ab aduersariis, qui propterea negant substantiam distingui realiter à quantitate, quia ex se ipsa haberet huiusmodi extensionem impenetrabilem. Probatur maior, quia ab eodem principio habent partes substantiæ & partes qualitarum ipsi competentium extensionem impenetrabilem: nec enim est dicendum, quod substantia habeat ex se impenetrabilitatem, & qualitates etiam à se habeant impenetrabilitatem: tum quia alias non possent esse in eodem loco substantia, & illæ qualitates; nam quæ habent diuersam impenetrabilitatem, non possent esse in eodem loco: tum etiam quia sufficeret quod vel substantia haberet ex se impenetrabilitatem vel accidentia; nec est necesse quod & substantia & qualitates habeant ex se impenetrabilitatem: ergo ab eodem habent & qualitates & substantia, cui inhærent, impenetrabilitatem: sed illud, à quo partes qualitatibus habent esse impenetrabiles, est aliquid

Quantitas
distincta
realiter
à sub-
stantia.

aliquid distinctum à substantia: ergo illud, à quo habent partes substantiæ impenetrabilitatem, est aliquid distinctum realiter à substantia. Probatur minor huius discursus ex mysterio Eucharistiæ, in quo accidentia sine substantia habent impenetrabilitatem: ergo illud à quo habent impenetrabilitatem, est distinctum realiter à substantia.

49. *Nominales dicunt*, accidentia illa esse quidem impenetrabilia, sed non à quantitate substantiæ, quæ est destructa cum substantia, sed à quantitate propria ipsorummet.

Contra primò, secundum Theologos communiter ipsa quantitas panis manet post consecrationem: ergo absque ratione valde evidenti non debet id negari.

Contra secundò, quia, ut supra dixi, ab eodem habent qualitates & substantia, in quibus subsistantur, impenetrabilitatem: ergo quantitas, quæ est ibi, est quantitas substantiæ, hoc est illud à quo substantia habet impenetrabilitatem.

Contra tertio: si qualitates illæ haberent propriam quantitatem distinctam à quantitate substantiæ, ut supponunt Nominales, quilibet ex illis haberet suam propriam quantitatem, & sic non essent compatibles in eodem loco, quia quæ habent diversam quantitatem, non possunt poni naturaliter in eodem loco.

Confirmatur hoc, quia si qualitates diversæ, habentes diversam quantitatem, possent poni naturaliter in eodem loco, duæ hostiæ consecratæ naturaliter possent se penetrare, quia ex hoc non sequeretur aliud, quam quod ponerentur diversæ qualitates habentes diversas quantitates in eodem loco, quod secundum illam doctrinam non esset inconueniens.

50. *Confirmatur secundò* tota hæc probatio, & impugnatio responsionis præmissæ, quia illud, quod est principium impenetrabilitatis hostiæ consecratæ, non est vlla qualitas vna ex qualitatibus, quæ sunt in speciebus Eucharisticis, quia, sublata quacumque ex illis, adhuc hostia esset impenetrabilis; nec aggregatum ex omnibus illis, quia separata vna non esset illud aggregatum, & tamen adhuc hostia esset impenetrabilis, nec aggregatum ex vlllo numero eorum, quia quocumque assignato, si tolleretur vlla qualitas ex illis, non esset illud aggregatum, & tamen hostia esset impenetrabilis: ergo signum est quod principium istius impenetrabilitatis sit aliquid distinctum ab omnibus illis qualitatibus. Sed hoc supposito sequitur conclusio, quia sequitur quod quantitas illarum qualitarum distinguatur realiter ab illis: & hoc supposito rationabilius dicitur, quod eadem quantitas, quæ facit illas qualitates impenetrabiles, faciat etiam substantiam impenetrabilem, & consequenter quod sit quantitas substantiæ.

51. *Arriagnum. 4. dicit* accidentia illa esse impenetrabilia, non ob quantitatem, sed ob vlicationes materiæ, quæ nequeunt esse connaturaliter cum vlicationibus alterius materiæ, quæ vlicationes, cum sint accidentia absoluta in ipsius sententia, & non modi, debent manere ibi.

Contra: si ab vlicationibus haberent illa accidentia impenetrabilitatem, illæmet vlicationes essent quantitas, & cum sint distinctæ, & quidem formæ absolutæ in sententia ipsius, essent quantitas, & sic daretur quantitas distincta à substantia, quod est intentum nostrum. Nec valeret dicere quod quantitas non consistat in illis vlicationibus, sed in illo quod exigit ipsas; quia hoc gratissime dicitur, & reducit rem hanc ad questionem de nomine: neque enim nos aliud volumus, quam quod detur aliqua forma absoluta distincta à substantia, à qua habet esse impenetrabilis, & si vocaretur quantitas illud, quod exigit talem formam, concederemus libenter substantiam esse quantitatem.

Contra secundò, quia præterquam quod falsum sit vlicationem esse formam absolutam, aut eam posse esse absque suo subiecto; quamvis etiam possent, non magis deberent accidentia illa ab vlicationibus materiæ esse impenetrabilia, quam ab vlicationibus propriis: ergo non deberent poni vlicationes materiæ in illis: nec verum

est quod omnia accidentia substantiæ debent poni in Eucharistia, sed solum accidentia sensibilia, & quæ cum ipsis habent connexionem.

52. *Respondet idem auctor secundò*, accidentia illa non habere impenetrabilitatem ex se, sed conservari tamen à Deo miraculose absque penetratione non minus, quam si essent impenetrabilia, ne pateat Eucharistiæ mysterium.

Contra, quia hoc esset recurrere ad miraculum sine necessitate, aut exigentia aliqua ex parte creaturæ: & sane mirum est quod Deus tam sollicitè velleret, etiam adhibito miraculo non exacto à modo naturali agendi causarum naturalium, occultare nobis mysterium Eucharistiæ.

Confirmatur, quia esset satis absconditum, quamvis non adhiberetur, hoc miraculum; nam licet fieret penetratio, adhuc posset esse substantia panis, & non esse ibi corpus Christi: ergo miraculum non deberet fieri ad hunc finem.

53. *Probatur secundò conclusio*, quia in Eucharistia est aliquid subiectum commune omnium qualitarum, in quo recipiuntur, neque enim vna qualitas subsistatur in alia, cum non sit vlla ratio, cur vna alteram potius quam altera ipsam subsisteret, neque omnes debent esse absque aliquo subiecto proximo: ergo datur aliquid aliud, quod subsisteret illas: sed illud est quantitas, & quid distinctum realiter ab ipsis, & à substantia destructa: ergo quantitas distinguitur realiter à qualitatibus & substantia. In hac probatione non est alia difficultas, quam ut probetur quod omnes qualitates non sint absque subiecto aliquo: hoc autem probatur, quia agens naturale potest naturaliter producere calorem, verbi gratia in Eucharistia, ut patet experientia: sed non potest ipsum producere absque subiecto, in quo reciperetur, quia alias crearet, quandoquidem produceret formam absque dependentia à causa materiali, hoc est à subiecto, in quo reciperetur: ergo datur ibi subiectum caloris: sed illud ipsum subiectum, in quo producit calor, debet dici esse subiectum aliarum qualitarum: ergo alia qualitates non sunt absque subiecto.

54. *Dices*: agens naturale atque potest naturaliter producere calorem sine subiecto ac formam substantialem; sed ignis potest producere in Eucharistia formam ignis, ut patet experientia, & non est ibi aliquid subiectum, in quo produceret formam ignis, cum nihil substantiale, nec materia nec forma, sit sub illis speciebus, in quo produceretur: ergo similiter potest producere formam caloris, quamvis non sit ibi subiectum, in quo illud producat.

Respondet distinguendo minorem pro secunda parte. non est ibi subiectum, in quo produceretur forma ignis ante illud instans in quo producit, concedo; in illo instanti, nego; & similiter distinguo consequens. Itaque in illo instanti in quo producit forma ignis, aut quacumque alia forma substantialis à causa secunda vlla sub illis speciebus, aut ex illis, Deus ipse producit in loco, in quo debet illa forma produci, materiam primam, vel eandem, quæ prius erat destructa, vel aliam aliquam, & in ipsa, quamvis non præexistat tempore, agens naturale producit illam formam; unde manet quod agens naturale non producat nec formam substantialem, nec accidentalem absque subiecto, ex cuius potentia educatur.

Instabis: ergo saltem quemadmodum non præexistit formæ substantialis productioni materia, sed producebatur à Deo in eodem instanti, similiter posset dici quod non præexistit productioni caloris aliquid subiectum, sed quod producat subiectum in eodem instanti, in quo calor producit.

55. *Respondet primò*, hoc ipsum sufficere ad probandum conclusionem, quia illud subiectum quod tum producit, non est substantia, alias, quoties calefieret leuitet hostia, esset sub illis speciebus alia substantia, quam substantia corporis Christi; & hæc consequenter deberet esse sub illis; quo nihil absurdius. Neque est qualitas vlla, quia ut supra dixi, vna qualitas non subsistat aliam: ergo debet esse aliquid aliud absolutum quid: sed nihil tale potest assignari, quod non sit quantitas: ergo datur quantitas distincta realiter

realiter à substantia, & qualitatibus, quod est intentum conclusionis.

Respondeo secundo, negando sequelam, quia non est vlla necessitas recurrendi ad noui subiecti productionem quando producit calor, potest enim dici, quod illud subiectum, in quo producit, fuerit productum ante, quandoquidem sit accidens: sed est necessitas recurrendi ad subiecti noui productionem, quando producit forma substantialis, quia ex fide habemus non fuisse antecederet sub speciebus subiectum substantiale, quod solum potest sufficere ad producendam formam substantialem: ergo idem in utroque casu non debet dici.

56. Ex hac autem doctrina maxime confirmatur communis sententia tenens, quod quantitas sit subiectum immediatum qualitarum corporearum, quam amplectitur S. Thomas 3. par. qu. 77. Scotus in 4. dist. 12. Suarez. disp. 14. Met. contra Huradum disp. 6. Physica subsect. 1. & Auersem 9. 21. Philosophia sect. 6. Confirmatur inquam illa sententia ex iam dictis, quia ex suppositione, quod detur quantitas distincta realiter à substantia, & qualitatibus, melius asseritur, quod sit subiectum immediatum qualitarum corporearum, quam quod non sit, quia in illo modo dicendi non est vlla inconuenientia: tum & præcipue quia id dicendo saluatur quomodo possint species Eucharisticæ calefieri ab agente naturali sine nouo miraculo, quo Deus suppleret defectum subiecti; nunquam autem debemus recurrere ad miraculum sine necessitate.

Dices cum Auerse, illas species condensari posse & rarefieri per accessum & recessum quantitatis, & hoc mediante actione causarum naturalium, quæ tamen actio sit absque subiecto, quandoquidem quantitas producta in illis per rarefactionem non subiectetur in alia quantitate, nec in qualitatibus, & quandoquidem non sit ibi substantia, in qua producatur: ergo similiter posset fieri calefactio absque subiecto per agens naturale.

57. *Respondeo primo*, etiam si totum concederetur, nihil facere ad propositum, quia aliud est, quod posset illa calefactio fieri absque subiecto, aliud est quod ita fiat. Hoc secundum nos negamus, quia quandoquidem posset saluari absque tali miraculoso agendi modo, præstat id facere, quam recurrere ad miraculum. Quod si illæ aliæ actiones condensationis & rarefactionis nequeant saluari absque miraculo, sicut nequit saluari actio productiua substantiæ, tum in illis actionibus recurrendum est ad miraculum, sed non in calefactione; & disparitas erit manifesta, quod hæc saluari possit absque miraculo, illæ non possint.

Respondeo secundo, iuxta satis communem Thomistarum, ac recentiorum sententiam, condensationem, & rarefactionem fieri per productionem, aut deperditionem modi quantitativi absque productione nouæ quantitatis, aut deperditione; & ille modus non exigit aliud subiectum præter quantitatem præexistentem; vnde non sequitur in condensatione aut rarefactione recurrendum esse ad miraculosum modum agendi, & sic euanesce hæc replica *Auerse*.

Respondeo tertio, condensationem & rarefactionem secundum plures Scotistas & alios fieri per egressum & ingressum corpusculorum substantialium absque productione, aut perditione quantitatis, aut modi quantitativi, quæ essent absque subiecto, & sic etiam posset fieri condensatio & rarefactio in speciebus Eucharisticis absque recurso ad miraculum; vnde à primo ad vltimum patet hæc replicam *Auerse* in nulla sententia facere ad rem.

58. *Idem author quæstione vigesima secunda sequenti sectione secunda*, longo discursu conatur suadere, quod melius sit ponere qualitates immediate in substantia, quam in quantitate: sed nihil concludit, nisi in sententia ipsorum, qui tenent corpus Christi sub speciebus Eucharisticis habere qualitates absque quantitate; in eorum autem sententia qualitates sine dubio collocandæ essent immediate in substantia, & non in quantitate. Sed hoc nihil facit ad nos, qui ponimus quantitatem Christi manere sub speciebus illis.

Addo ad hæc, non bene colligi qualitates esse subiectas in quantitate ex eo, quod sint impenetrabiles, quia hoc possent habere per hoc, quod subiectarentur immediate in substantia quanta, quemadmodum habent animæ vegetatiuæ & sensitiuæ; nec etiam id colligitur ex eo, quod non recipiantur in substantia, nisi sit prius affecta quantitate, propter idem exemplum de illis animabus, quæ non recipiuntur, nisi in corpore organico quanto, & tamen non recipiuntur immediate in quantitate secundum omnes.

59. *Fundamentum aduersariorum* contra hanc conclusionem est, quod substantia ex se habeat partes extensas antecederet, & independenter à quantitate, quia aliàs non posset recipere quantitatem, nec extendi per illam: ergo non debet assignari aliqua quantitas ab ipsa realiter distincta, à qua habeat hanc extensionem: sed ideo requiritur quantitas distincta, vt tribuat illi extensionem: ergo non est ponenda quantitas distincta.

Hoc argumentum solum habet locum contra illos Thomistas, qui assignant pro effectu formali quantitatis extendere partes substantiæ, vel actu vel apertitudine. Contra nos autem nihil urget. *Vnde respondeo* facile negando subsumptum: neque enim ideo requirimus quantitatem, vt extendat partes substantiæ, sed vt reddat illas impenetrabiles, & vt subiectet immediate qualitates; substantia autem licet ex se habeat extensionem partium, non tamen habet ex se talem extensionem earum, ad quam sequitur naturalis impenetrabilitas, seu expulsio aliquarum rerum ab eodem loco, nisi à quantitate, nec habet etiam immediate subiectare qualitates absolutas corporeas.

60. *Melius fundamentum* pro his authoribus esset hic sequens discursus: Quantitas non habet præcise & formaliter ex sua entitate absoluta habere partes suas extra se inuicem cum proportionem ad partes loci in quo poneretur, vt patet in quantitate corporis Christi, quæ sub speciebus Eucharisticis non habet partes sic extensas: nec etiam habet à sua entitate absoluta præcise, & formaliter expellere alia ab eodem loco, vt patet de quantitate corporis gloriosi, & quæcumque alia quæ supernaturaliter posset esse penetratiue in eodem loco: ergo debet ipsi superuenire aliquid vltra entitatem suam absolutam, ratione cuius formaliter habeat partes extra partes, & expellat alia ab eodem loco, & consequenter ista extensio impenetrabilis potius debet refundi in illud alterum, quam in ipsammet quantitatem, formaliter & præcise loquendo: sed illud aliud non est aliquid absolutum, quia non potest assignari quale absolutum sit, cum non possit dici esse qualitas, nec quantitas: ergo est aliquid respectuum. Tunc sic: sed illud respectuum posset aequè facere partes substantiæ extensas & impenetrabiles, ac partes quantitatis absolute: ergo frustra ponitur quantitas, quæ sit aliquid absolutum.

Confirmatur: ex impenetrabilitate, quam habet substantia, & accidentia separata à substantia, colligitur dari quantitatem absolutam, à qua proueniat formaliter illa impenetrabilitas; sed ista impenetrabilitas posset prouenire à respectibus aliquibus, vel ab aliquo distincto à quantitate absoluta, sicut impenetrabilitas ipsiusmet formæ absolute, quæ dicitur: quantitas, prouenit ab aliquo alio distincto: ergo non bene colligitur ex illa impenetrabilitate aliqua forma absoluta, ex qua formaliter proueniat.

Confirmatur secundo, præcipue contra Thomistas, quia certum est extensionem partium in ordine ad se, ita scilicet, vt vna vnatur immediate vni & nõ alteri, altera huic & non illi, verbi gratia caput collo, collum humeris, his manus &c. prouenire ab ipsis vnionibus, quæ sunt formaliter respectus, ita, vt si variarentur vniones, variaretur extensio partium, & fieret alia. *Deinde* quod partes sint extra se inuicem in ordine ad locum sic, vt si ponantur in loco, debeant habere talem proportionem partium cum partibus loci, vt vna corresponsdeat vni & alia alteri, videtur prouenire similiter ab aliquibus respectibus distantia aliquarum partium ab aliis: ergo ad neutram extensionem partium substantiæ, aut qualitarum requiritur aliqua

Quantitas
est subie-
ctum qua-
litarum.

forma

forma absoluta, sed sufficere possent tales uniones & tales distantia partium à se inuicem.

Quomodo
dicitur pos-
se, quod
quantitas
non distin-
guatur à
substantia.

61. Hæc sane mihi semper difficilem reddebant sententiam nostram & communem, & probabilitatem suadebat sententia negantis, quod daretur aliqua quantitas distincta realiter à substantia & accidentibus, quæ esset forma absoluta, & cuius munus esset extendere partes substantiæ & accidentium cum impenetrabilitate; & quia attribuimus supra alium effectum quantitati absolute, nimirum subiectare immediate qualitates, propter experientiam illam de calefactione Eucharistiæ per agens naturale.

Adde ulterius in confirmationem vltiorem huius sententiæ negantis, quod quemadmodum Deus miraculose concurret cum igne ad producendam formam ignis in illis speciebus creando de nouo materiam primam, quæ sit subiectum istius formæ, sine quo concursu miraculose nequirit ignis producere ignem in illis; similiter posset dici quod concurret miraculose cum calefactiuo, ad producendum calorem in illis speciebus, non quidem producendo subiectum nouum, ut in casu altero, sed supplendo defectu talis subiecti per concursum aliquem particularem.

Et si dicatur, quod tunc causa secunda crearet, *Respondetur* posset iuxta satis communem sententiam, quod non esset inconueniens causam secundam creare concurrentem Deo miraculose, & supernaturaliter cum illa; quæ responsio à maxima parte recentiorum tenentium nostram conclusionem admitti debet, & licet à Scotistis forte negaretur, difficile tamen erit ipsis dare implicantiam cur id repugnet.

Respondetur etiam posset secundo, negando sequelam, quia creatio posset dici productio rei sine dependentia à causa materiali, aut ab vilo alio supplente defectum causæ materialis: talis autem productio non competeret calefactiuo in casu prædicto.

Respondetur posset tertio, quod istæ productiones non prouenerent à causa secunda, quæ nequit in vilo casu creare, si non sit vera prima sententia; sed à solo Deo miraculose, nec hoc miraculum magis difficile creditur est quam alterum supplendi defectum subiecti.

62. Nihilominus in fauorem communis sententiæ *respondeo ad hoc fundamentum* concedendo, quod quantitas ex entitate sua absoluta præcise & formaliter non habeat partes extra partes cum proportionem ad partes loci, aut cum distantia inter se inuicem, nec etiam expellere vlla alia ab eodem loco, nisi aliquid aliud, vel intrinsecum, vel extrinsecum adueniat ipsi; tamen est aliquid absolute exigens connaturaliter immediate, & ratione sui illud aliud superaddi ipsi: substantia autem non exigit illud aliud sibi immediate superaddi, sed solum exigit illud mediate, quatenus scilicet exigit quantitatem; & idem est de qualitatibus.

Et si quæras, unde colligamus, quod substantia non sit illud, quod exigit illud connaturaliter: *Respondeo*, quia video quod qualitates ex mysterio Eucharistiæ habeant illud. Et si quæras: unde colligam, quod qualitates non exigant illud ex se connaturaliter: *Respondeo*, id colligi ex dictis in tertia impugnatione responsionis Nominalium n. 48.

Confirmatur hæc responsio, quia vna forma accidentalis, verbi gratia calor, dicitur expellere formaliter frigus ab eodem subiecto, licet ex sua entitate absoluta præcise non sufficeret ad hoc faciendum, quandoquidem supernaturaliter posset esse simul cum frigore, quia exigit connaturaliter, ut Deus non conferret frigus in eodem subiecto, unde negatio illius conseruationis requiritur ultra calorem ad expellendum frigus: ergo similiter quantitas debet dici expellere formaliter alia ab eodem loco per suam entitatem absolutam, quamuis vltius requiratur negatio concursus diuini cum illis aliis, quæ expelluntur ad occupandum eundem locum, eo scilicet, quod exigit connaturaliter talem negationem. Ex quo etiam exemplo obiter patet, quod quantitas sit dicenda formaliter & non effectiue expellere alia ab eodem loco, sicut calor expellit frigus ab eodem subiecto formaliter & non effectiue:

Quantitas
formaliter
expellit
alia à loco.

cuius etiam signum est, quod quamuis nihil prorsus efficeret quantitas occupans locum, sed solum conseruaretur ibi, mere passiue se habens, non admitteret secum aliam quantitatem magis, quàm calor in summo admitteret frigus in summo, de quo aliàs plura.

63. *Ad primam confirmationem respondeo* illam impenetrabilitatem non posse prouenire ab illis respectibus, neque enim vlla distinctio est inter respectus quoscumque, qui sunt in quantitate, siue partium ipsius inter se inuicem, siue in ordine ad partes loci, & respectus qui essent in substantia occupante similem locum absque quantitate, ex qua distinctione oriretur illa impenetrabilitas in quantitate potius quàm in illa substantia, nisi quatenus partes quantitatis fundantes tales respectus, sunt distinctæ rationis à partibus substantiæ; unde impenetrabilitas illa refundi debet in partes quantitatis, & non in tales respectus solummodo.

Ad secundam confirmationem non est, quod respondeam, quia solum vrgit Thomistas sic explicantes naturam quantitatis.

Ad illud quod addidi in fauorem Nominalium n. 60. Respondeo, quamuis posset ita responderi, melius tamen dici, quod non concurret Deus miraculose ad talem productionem, quia sine necessitate non est recurrendum ad miracula: non est autem vlla necessitas recurrendi ad illud miraculosum concursum, si dicatur adesse, sub illis speciebus subiectum, in quo calor posset produci.

64. Omisi data opera probare conclusionem per argumentum satis commune, quo vtuntur *Complutenses*, nimirum quantitas est accidens reale aptum natum inherere: ergo nequit identificari substantiæ, alias inhereret & non inhereret. Omisi, inquam, hoc argumentum, quia reuera petit principium, seu assumit, quod est probandum, nempe quantitatem esse accidens reale aptum natum inherere substantiæ, id enim negant Nominales, qui identificant quantitatem substantiæ.

Eandem etiam ob causam omisi aliud argumentum, nimirum quod quantitas spectet ad aliud prædicamentum à substantia: ergo non identificatur realiter substantiæ. Hæc enim consequentia negari debet ab omnibus, qui putant prædicamenta omnia non debere necessario distingui realiter: & sane illud principium, quod vniuersaliter tenetur à Scotistis, nimirum prædicamenta omnia distingui realiter, dependet partim ab hac alia conclusione; nempe, quod quantitas distinguatur realiter à substantia; unde qui negaret hanc conclusionem, negaret etiam illud principium.

Alia pro-
batio com-
munis con-
clusionis
reducitur.

QVÆSTIO IV.

De diuisione quantitatis ut sic in continuam & discretam.

65. *Philosophus* hoc capite diuidit quantum in illud, quod per se est quantum, & quod per accidens est quantum, omnes autem fatentur dari quantum per accidens, tale enim est quodcumque subiectum affectum quantitate, ut substantia materialis cui inheret quantitas, & quodcumque accidens præferim absolute, quod inheret quantitati. Deinde fatentur omnes, quod detur quantum per se, nimirum ipsamet quantitas, quæ est essentialiter talis, & à qua illa, quæ sunt quanta per accidens, habent esse talia formaliter. Sed difficultas tamen est quomodo possit vocari quantitas quantum, aut quanta: ratio autem dubitandi est, quod ly quantum videtur esse concretum adiectiuum significans pro formali quantitatem, & connotans materialiter subiectum, cui inheret quantitas. Quod si ita sit, certum est quantitatem non posse dici quantum, aut quid quantum, quandoquidem non sit subiectum, cui ipsamet adiaceat aut inheret.

Datur quæ-
tum per se
& per ac-
cidens.

Confirmatur, quia albedo non potest dici alba, nec vllum concretum potest dici formaliter de suo abstracto: ergo nec quantitas potest dici quanta.

Ad hanc difficultatem respondeo, ly quantum quando dicitur de quantitate, non esse concretum adiectiuum significans quantitatem adiacentem rei, de qua dicitur quod sit quanta, quia aliàs falsum esset quantitatem esse quantum

Quomodo
quantitas
est quanta.